

5457.

10 # 35.

M.

1646

7

Q. D. B. V.

EX ARGUMENTO

JURIS ΠΡΟΕΔΡΙΑΣ,

PRÆSIDE

CASP. HEINR. HORNIO,

D. PAND. P. P. CURIÆ PROVINCIALIS, SCAB.

ET FACULTATIS JURIDICÆ ASSESSORE,

III. CAL. MAII. M DC XCVI.

13/

differet

CHRISTOPHORUS THEODORUS

HAINEMANN,

ILEBURGO - MISNICUS.



VITEMBERGÆ,

Prelo GODERITSCHIANO.

COROLLARIA.

I.

IN Principum ac Statuum Imperii Evangelicorum territoriis nulla alia religio præter eas, quæ in tabulis Pacis Westphalicæ nominantur, recipi & tolerari debet.

II.

Matrimonio, quod Christianus cum Christiana init, inesse censetur tacitum pactum de solitaria cohabitatione.

III.

Atque adeò nec Rex Christianus ob tacitum illud pactum uxori invitæ addere uxorem potest; si maxime daremus, quod tamen prægnantes ob rationes dari nequit, Juri Divino positivo universali Polygamiam non repugnare.

IV.

Polygamiae reus quinquennii præscriptione tueri se potest; etiam in Electoratu Saxonico.

V.

Danti ob causam ac poenitenti moribus Germaniæ nunquam datur condictio causa data causa non secuta.

VI.

VI.

A jure Sacrorum jus Episcopale quam maximè differt.

VII.

Utrumque tamen Principibus & Statibus Imperii Protestantibus competit.

IIIX.

Filius quoad unum actum emancipari potest.

IX.

Utrum autem hodiè ex contractu inter patrem & filium familias celebrato tacita quoad hoc negotium censetur emancipatio facta, dubium est. Nos exercitii causa & agentium & negantium hac vice suscipiemus partes.

X.

Tutorum & curatorum datio & confirmatio à Dd. & rectè quidem, ad contentiosam jurisdictionem refer-
tur.

XI.

Quando verò Decisio Electoralis Saxonica XXXIX. illos actus voluntariæ Jurisdictionis dicit, id ita intelligendum esse existimamus, quatenus in volentes, non in invitos exercentur.





B. C. D.

I.

Utrum liceat in Civitate Jus Præcedentia sibi asserere?



Utrum animus sit controversias quasdam ex argumento Juris negatæ, prout occasio feret, in Cathedram producere; sollicitum me esse merito oportet, de illo quæsito, quod præjudicium facit instituto huic: *Utrum liceat in Civitate Jus præeundi sibi asserere, illudque deducere in iudicium; vel etiam extra iudicium privata auctoritate moderamine inculpatæ tutelæ vindicare?* Hoc enim nisi esset, inanis omnis opera foret. Non adeo difficilis autem, arbitror, erit decisio, si modo, qua ratione Jus Præcedentiæ constet, æqua lance quis expendat. Hoc faciendum dum est, primò quidem nemo negabit, scopo in societatem civilem coeuntium plane adversari, si inconditam indigestamque turbam sine omni ordine, promiscuè, pecudum in morem viventium civitatem quis esse velit. Tantum enim abest, ut ex tali conjunctione commodum aliquod insigne, & communis utilitas coeuntibus nasci queat; ut potius majora inde mala metuenda, quam si quilibet sibi solus viveret, res suas sibi haberet, illasque quantum posset, tueretur. Interest itaque maximè Reipublicæ, quemlibet in civitate suo loco, cum omnes eodem

A

esse

esse nequeant, poni, quemlibet etiam (ut *Concilium Nicenum Canon. 18.* loquitur) ἰδιότῃ μέτεροισι ἐμμένειν, atque isto ordine relinqui, quo vel primum ab ineuntibus civitatem conventionem, vel postea à civitate, aut eo, penes quem τὸ κῆρυξ est, ob virtutes, officia, merita, vel aliam causam definitione expressa vel tacita, legibus vel moribus positus est, & constitutus. Hoc enim nisi fit, non tantum honestas & εὐχρημονία læditur, & solennia conventuum ac pomparum dedecus accipiunt, verum etiam scandala, & turbæ, aliaque mala oriuntur, quæ, publicam salutem maximeperè lædunt: imò juris & æqui ratio detrimentum capit, quando unicuique non tribuitur, sed præripitur, quod suum est, quodve societas tota, vel τὸ κῆρυξ tenens dedit ac concessit. Ob hanc rem C. Plinius non potuit sibi temperare, *Epist. 5. Lib. IX.* quo minus Tyronem suum laudaverit; quod eum tenuerit modum, ut discrimina ordinum dignitatumque custodiret, quæ, si confusa, turbata, permista sunt, nihil est ipsâ æqualitate inæqualius. Romana Jurisprudentia ob easdem causas sedulo ac diligenter cavit, ne dignitatum ordo turbetur, quod illa, quæ sub *tit. Cod. Theodos. & Justinian. Ut dignitatum ordo servetur, tit. ff. de albo scrib. nec non in Leg. Papia de ordine rogandar. sententiar.* aliisque quamplurimis locis sparsim, e. e. *L. 1. ff. de Senator. l. 6. ff. de fide instrum. l. 1. & 2. C. de Off. Præf. Præf. l. 1. C. de Consul. L. 10. C. de Prof. & Med. & c.* habentur, satis & abunde comprobant. Neque etiam ab hac re Jus Canonicum abludit, cum & illud *Canon. Solita, X. de Major. & obed. Can. ut debitus, X. de Appell. Can. Ex ore, X. de Privil.* aliisque in locis, ordinum gradus & dignitatum observandos esse jubeat; ut illa loca taceam, quæ ex Codice Recessuum Imperii hanc in rem allegari solent. Hoc posito, nullum dubium, rem juris alieni invadere & injuriam facere, qui alterius locum occupat, aut istum hac parte non dubitat turbare. Adversus quos homines jus quodcunque aliud quæsitum remediis hanc in rem constitutis cum liceat asserere vindicareque; non video, cur & hac parte

parte id non sit permissum, curve non liceat illum, qui jurisdi-
ctioni præest, adire, rogareque, ut auctoritatem interponat su-
am, & Præcedentiæ jus competens defendat; aut etiam extra
judicium prærogativam hanc, in quantum id alias concessum
est, tueri? Quæ omnia eo magis tunc licebunt, si præcedendi
jus cum aliis quibusdam emolumentis est conjunctum, aut com-
moda quædam pecuniaria inde fluunt. Est etiam, ubi non li-
cet solam, verum ratio officii quoque exigit, & postulat, ut quis
dignitatem defendat, veluti is, qui Magistratum gerit, aut lega-
tionis munere fungitur, *arg. l. 1. ff. de postul. l. 19. ff. de offic. Præsid.*
Quorsum pertinet elegans ista disputatio apud Taurum Philo-
sophum Atheniensem, & nobile Fabiorum factum, cujus me-
minit *Gellius Lib. II. c. 2. Liv. lib. XXIV. Val. Max. Lib. II. c. 2.* nec
non, quam *Diodorus Siculus Lib.* memorat, actio Magistra-
tus imminuti, & non vindicatæ Majestatis. Quibus omnibus
non adversatur, quod ex mente Labeonis Ulpianus scribit in *l.*
13. §. 4. ff. de injur. injuriarum actione non teneri eum, qui non
passus alicui honorem decerni, quamvis hoc contumelia causa faci-
at. Namque de honore decernendo nunc primum alicui ibi
agitur, veluti si imago, vel aliud quid tale ponendum est; quo
casu utique, cum nondum jus quæsitum adsit, injuria haud com-
mitti potest, si ejusmodi honor impediatur. Aliud vero pla-
ne est, quando quis locum honoris alteri jam debitum occu-
pat, vel facit, quo minus illo quiete uti possit. Quorsum spectat illud
Aristotelis apud *Ælianum V. H. Lib. 14. c. 1. Non est simile, dignita-*
tem aliquam non suscipere, & cum acceperis, ea spoliari. Non
enim grave est, non adipisci; at cum adeptus sis, rursus amittere,
id molestum est. Neque etiam porro negotium facessit id, quod
vulgo dici solet: honorem non esse honorati, sed honorantis;
licet crude & crasse si acceptum sit, id inde sequi videatur, non
posse illud vindicari asserique, quod nostrum non est, nec in no-
stra, sed in alterius potestate. Petitum enim est illud dictæri-

um ex *Arist. Lib. 1. Nicom. c. 3.* ubi, cum Philosophus in indagando summo bono occupatur, atque illorum recenset & rejicit sententiam, qui honorem felicitatem summam existimant, rationis loco subdit: *δοῦναι γὰρ ἐν τοῖς τιμῶσι, μᾶλλον εἶναι ἢ ἐν τῷ τιμωμένῳ: τὰ γὰρ δὲ οἰκείον, τιμὰ δὲ οὐ φαίετο εἶναι μαντῶδες.* (Magis enim in iis, qui honorem exhibent, quam, qui eo afficiuntur, consistit; bonum vero ipsum ejusmodi esse divinamus, ut proprium quoddam sit, quod auferri facile nequeat.) Ex quo satis patet, Philosophum per *τιμήν*, vel honorem, nihil aliud intellexisse hoc loco, quam honorantis actionem, seu significationem judicii nostri de præstantia alterius. Quod judicium, quæve significatio judicii cum in hujus potestate non sit, dum penes ipsum neutiquam stat determinare, quanti aliis videatur, recte dicitur honorantis esse, non honorati. Sed ejusmodi honor maximopere distat a jure occupandi locum hunc, vel istum in societate civili: quod jus, quando semel acquisitum, merito nostrum dicitur; nec in potestate alterius est, illud nobis denegare, vel auferre. Majoris momenti dubia sunt, quæ suppeditant principia religionis Christianæ. Quod si enim ea, quæ de humilitate Christiana variis in locis facer Codex habet, expendamus, vix ac ne vix quidem illa cum litibus de Præcedentia conciliari posse, videtur. Quorsum maximopere pertinent loca *Prov. 16. v. 19. c. 29. v. 23. Matth. 23. v. 6. 11. 12. Marc. 12. v. 39. Luc. 11. v. 43. Luc. 1. v. 52. ad Philipp. 2. v. 3.* Verum quia Christiana religio Politias non tollit; sed quam optime cum his consistere potest, nec impedit, quo minus usus Magistratuum & judiciorum sit, liceatque res & jura sua auctoritate publica, vel suo modo, privato ausu, vindicare tuerique; id quod alibi latè tradi probarique solet: non video, cur bono ordini Christianismus contrarietur, curve nefas sit, jus Proedriæ legitimè quæsitum si quis legitimè defendat, neque id eripi sibi patiatur? Ambitio est Christianæ humilitati maximè inimica, si quis honores vehementer

hementer appetit, vel, quæ non debentur, sibi arrogat proprio
ausu: verum hæc de illo dici posse non puto, qui locum hono-
ris jam tunc competentem tuetur saltem; quod dum facit, nemi-
ni injuriam infert. Non perdit justitiæ & pietatis laudem, qui
res suas non negligit, sed ab aliorum insultu defendit, sibi que
servat. Pari ratione non credo humilitatis Christianæ laude ob
id solum privandum quem esse, quod loco jure sibi debito in-
sistat, eumque dimittere nolit. Deus sane Deus ordinis est, o-
mnemque averfatur confusionem, atque non tantum ipsum
mundum admirabili ordine adornavit & instruxit; verum etiam,
ut populus, quem selegerat sibi, elegantissimo ordine tam in sa-
cris, quam in profanis ageret, severè jussit, illumque hanc in rem
prolixis legibus ornavit. Jussit quoque interprete Apostolo, ut
honor exhibeatur, cui debetur, *Rom. 13. v. 7. & I. ad Cor. 14. v. 40.*
ut in Ecclesia omnia fiant *ἐν ἡμεῶν καὶ κατὰ τὴν ἑξῆς*; quod certè
fierinon posset, si cuilibet locum, quemcunque voluerit, promi-
scuè liceret occupare. Hanc ipsam sententiam non oppugnant,
sed confirmant potius, quæ Servator *Luce 14.* contra illos, qui
primos accubitus seligebant, in ædibus Principis Phariseorum
cujusdam effatus est. Non enim prohibet, quo minus quili-
bet loco sibi competente uti possit; ast monet ac præcipit, ne
quis temere, si ad nuptias invitatus, accumbat statim primo lo-
co, sed expectet potius, usque dum non accedentibus aliis, qui-
bus *πρωτοκλησία* debetur, ascendere jubeatur; ne postea, si ho-
noratior veniat, cedere cogatur cum rubore. Quo ipso satis
aperte affirmat, honoratiori cedere debere minus honoratum,
huncque peccare, si illius occupat locum, vel imprudenter sal-
tem agere, si absente illo involet statim in primos accubitus,
nec cogitet, alium venire posse, qui potior sit. *Vid. quæ apud
Brent. & Gerb. in Harmon. Evang.* in hunc locum leguntur. Id
quod etiam ex iis, quæ ex principiis rectæ rationis, jurisque hu-
mani placitis supra in medium allata, satis patet. Atque ad

eos homines, qui locum sibi non debitum adrogant, & ideo vel ad iudicium provocant ipsi, vel vocati in jus cedere nolunt, & præfractè litem continuant, omnia illa pertinent, quæ adversus lites de Præcedentia ex sacro Codice proferri solent. Quorum peccatum eo gravius est, quo majus malum in Rempubli- cam & Ecclesiam inde redundat. Existimo etiam illos ad hunc censum referendos esse, qui vel nullo hætenus hos vel illos præcedendi jure gavisi sunt, vel dubium jus valde habent, & nihilo minus tamen hac de re longissimos litium anfractus non dubitant inire. Inter quos longè pulcherrimum certamen illud foret, si inter se contendant, quis promptior fuerit in honore deferendo, aut in eodem deprecando modestior: quique longe melius facerent, si, quando de hac re lis fortè orta, rem totam voluntati Superioris submitterent, acquiescerentq; in ejus decreto sine litium ambagibus lubentes. Id quod in illis maxime opere locum habet, qui privati planè sunt, nec ullo officio publico, cujus honorem tueri illis incumbit, funguntur; vel ejus generis munus gerunt, quod, quo loco habeatur, parum interesse Reipublicæ potest. Hac enim re, & a peccato immunes essent, carent tædiis litium, parcerentque sumptibus, atque inter Christianos laudem humilitatis, illos vero ipsos etiam, qui extra pœria Ecclesiæ vivunt, gloriam generosæ mentis mererentur. Porro & illi huc pertinent, qui præcedendi jus debitum quoque, non debito modo, & cum scandalo publico defendunt. Quod illos facere nullum dubium est, qui in loco sacro, & Sacramentorum usu, si alii adsint, cum quibus controversia est, astutè, vel cum impetu præcurrunt, adversarios loco detrudunt, vel retrahunt, & simile quid perpetrant, quo sacra turbantur, indicaturque, mentem planè aliis in rebus, quam quæ agenda sunt, defixum esse. Quos & pœnis coercendos esse in foro externo, nemo fortè dubitabit. Neque est, quod tuitionem juris allegent, cautionemque necessariam, ne alter possessionis vel quasi

com.

commodum adipiscatur: aliis enim modis sibi quis consulere potest, protestatione scilicet vel ante, vel post ejus generis actum coram Magistratu. Neque etiam puto, illi temerè obijci posse, quod jure suo cesserit, qui eo in loco, ubi cum Deo agendum est, non sollicitus adeò fuit de jure locoque suo, sed neglexit præcedendi facultatem. Denique nec illos à reatu in foro interno absolvo, qui dùm alios justè præcedunt, sibi ipsis placent, despiciunt sequentes, superbiâ & ambitione turgent, se meliores sapientioresque aliis æstimant, & ideo honores immoderatè cupiunt, omnesque eò dirigunt cogitationes, ut altiori in loco constituentur. Quale vitium Phariseorum taxat Christus Servator noster *Luc. XI. 43.* Nescio an his meliores vel peiores sint, qui, ac si debitum locum planè non curarent, videri volunt, accisimis semper utuntur, vel humilitatis prætextu jus præcedendi recusant præfractè, aut de humiliori loco acriter contendunt. Qualem litem Salmantica in exequiis Margarithæ Hispaniæ Reginæ inter Capucinos & Jesuitas evenisse tradit *Salgado de Regia protectione P. 2. c. 9. n. 42.* ubi Capucinorum vicit intentio & pervicacia tandem, qui ob humilitatem majorem infimo loco digni sunt judicati. Quod hominum genus, dùm ambitiosum videri non vult, plus quam præposteram præ se fert, & abominandam ambitionem. Sic res eò tandem redit, tollendum & damnandum esse abusum, retinendum verò usum: quod nisi esset, ipsa judicia e Republica, & Respublica e mundo eliminari deberent. Ad locum *Iacobi c. 2. v. 1. seqq.* responsio facilis est ex *Gal. 3. v. 28.* Atque inde apparet dictum Lactantii de *Iust. L. 5. c. 15.* *Contentione de dignitate nihil foedius esse, nihil arrogantius, nihil à Sapiente ratione semotius,* aut secundum ea, quæ diximus, explicandum esse, aut crude & crasse acceptum nævô suò non carere,

11.
Utrum Consiliarius Principis Imperii Titularis precedat Doctores, & Licentiatos?

Quam egregiis elogiis, titulis, ac privilegiis Imperatoris Consilarii in jure nostro exornentur: notissimum omnibus est, atque plurimis ex locis comprobatur, quæ collegit *Ernest. Gothofred. in Diss. de Jure Consil. apud D. Frizschium, thes. 152. seq.* Postquam vero hodie usu Juris Publici ea, quæ de Principe, seu Imperatore in Justiniano jure habentur, ad Electores & Principes Imperii, qui territoria potestate analogâ Majestati regunt, & in illis tantum possunt, ut vulgatum axioma docet, quantum Imperator in Imperio, hoc intuitu accommodari optimo jure solent: nullus dubito, quin ea, quæ Romana Jurisprudencia de Consiliariis Imperatoris docet, ad Consiliarios Principum Imperii applicari queant. Quemadmodum igitur Consilarii Imperatoris Doctores, & Licentiatos, in toto Romano Imperio, qui reperiuntur, præcedunt, ita non male dicitur, Consiliarios Principis omnibus Doctoribus & Licentiatis in territorio degentibus præferendos esse: cum & hi pars corporis Principis dici debeant, eorumque consilio & cura Respublica administretur: *Benius de Privil. Ictorum p. 3. in Prooem. n. 33.* Neque etiam aliter rem se habere puto, si ejusmodi Principum Consilarii extra territorium Domini, sine characterē alio, & axioma degant, atque cum Doctoribus concurrant. Nam licet subtiliter dici posset, extra territorium illud, ubi munere funguntur, pro privatis haberi: usus tamen jurispublici hoc non admittit, sed in toto Romano Imperio Principum Consiliariis eundem honorem defert. Id quod & textus in *O. Pol. 1577. tit. XI. & Ord. Polit. Electoral. Sax. T. XXII. §. 12.* satis comprobant. Quæ omnia ratione illorū dubio prorsus carent, qui
in

in excellentiori Consiliariorum, veluti intimorum, ordine sunt constituti. Equidem me non fugit, illos, qui de Præcedentia solliciti sunt, inde quoque argumentum accersere solere, quod a majore Domino quis dignitatem, vel officium dicatur suscepisse. *Gloss. ad L. 2. ff. de albo scribend. Gl. inc. per tuas X. de Major. & obed. Gothofr. de Prac. p. l. c. 4. tb. 29.* Quia vero gradibus Academicis insigniti, prout notissimum est, dignitatem hanc ce non Principibus Imperii, sed Imperatoriæ Majestati acceptam ferunt, a qua vel immediate vel mediate eam nacti sunt; Imperator vero major est Principe Imperii: id inde sequi videtur, Doctorum & Licentiatorum jus hac parte potius esse jure Consiliariorum, qui ejusmodi axiomate carent. Sed existimo doctrinam illam Dd. ita intelligendam esse, si dignitas ejusdem sit generis, non diversi. Sic, si Princeps Imperii Doctorem crearet, quod tamen hætenus, quantum ego novi, nondum factum, fieri tamen ex plenitudine territorialis Superioritatis posse, multi ex recentioribus opinantur, de qua re vid. *Itter. de Gradib. Academ. c. 6.* nullum dubium apud me est, hunc cedere debere Doctori, qui Cæsareis auspiciis ad hunc ascendit dignitatis gradum. Quod si vero ad diversa dignitatum genera trahere illud assertum velis, quam plurima absurda inde nasci, certum est. Hac enim ratione infimis in aula Cæsarea ministeriis destinati Consiliariis Principum Imperii quoque præferendi forent. Diversum ergo genus cum constituat Consiliariorum & Doctorum, aut Licentiatorum dignitas, facile judicare licet, regulam istam nil facere ad rem præsentem. Sed quid de eo sentiendum sit, qui tantum titulum consiliarii impetravit, obtinuitque a Principe, cujus tamen consilio hic non utitur? ex facto disputatum esse memini, cum hac de re lis inter Doctores & Licentiatos, atque non neminem nullo gradu Academico, titulo tamen Consiliarii a Principe territorii ornatum oriretur. Cui præsertim id objiciebatur,

B

titu-

titulum sine re inane quid videri, neque sic mereri quandam
prærogativam. Fateor, me existimare, recte illos agere, qui
non cupiunt, nec petunt ejusmodi titulos, cum vix aliam ob
causam id fieri possit, quam, ut ambitio expleatur, atque ut
facultate alios præcedendi quis gaudere velit, raroque vitium
sub- & obreptionis ab hac exulet impetratione. Satiùs etiam
illos agere puto, qui a Principe titulum talem ultro oblatum
modeste deprecantur. Quod, si tamen voluntas Principis, cu-
jus est distribuere dignitates, æstimareque, quo loco quemli-
bet habere velit, *L. 1. C. de Dignit.* id ita exigat, ut quis nomen
titulumque Consiliarii gerat, eandem, ut alii Consiliarii susti-
neat dignitatem, ejusque etiam consilio extra ordinem forte
velit uti: non video, quomodo refragari quis queat huic decre-
to, illumque loco detrudere, in quem Principis sui arbitrium
eum evexit. Utrum autem dignus, an indignus sit hoc axio-
mate, subditi, & privati non est æstimare. Imo res maxime
illicita subdito habetur de ejus dubitare meritis, quem ex sci-
entia certa, quod præsumitur semper, Princeps honoribus af-
fecit. *L. 3. C. de Sacril. ubi Dd.* Atque ob has causas Collegium
Witteb. cujus Responsum subjeci infra, M. Jun. 1691. putavit,
pro Consiliario titulari esse respondendum, illamque omni-
bus Doctoribus & Licentiatis etiam antea dignitate ornatis,
quam hic Consiliarius factus, præferendum: quandoquidem
Regula, de qua actum *qv. 4.* ad diversi generis dignitates neu-
tquam pertinere potest. Cui cæteroquin non obesse poterat,
quod Advocationis munere uteretur. Nihil enim hoc hone-
stum officium detrahit dignitati novæ, nec novum est, unum
diversis gaudere muneribus & titulis. Puto vero, hæc, quæ de
titulari dixi, ad eum quoque pertinere, qui honeste est dimis-
sus a Domino, qui omnibus privilegiis fruitur, quibus antea
usus. *Schönborn. L. 3. Polit. c. 26. Mundius Vol. I. Conf. 30.* & multo
magis ad illum, qui in aula Principis quidem non degit, cu-
jus

jus tamen saepe consilio Princeps uti solet, cum reapse hic munere Consilarii fungatur.

P. P. Hat vor einiger Zeit Seine Hochfürstl. Durchl. zu N. Sempronio einem Landesbedienten und Advocato das prædicat eines Raths gegeben/ derselbe auch/ da die Graduati ihm auff keinerley Weise gewichen/ von hochgedachter Sr. Hochfürstl. Durchl. vor etlichen Wochen/ daß die Advocati Graduati ihm die Oberstelle lassen solten/ ein Rescript bey 10. Rthlr. Straffe erlanget: weshalb die Herren/ indem Sie dißfalls niemahls gehöret worden/ Sempronio auch/ der seiner Advocatur noch immerzu sich bedienet/ niemahln den Vortritt eingeräumet/ eine protestation eingewendet/ daher denn dieselben zu wissen verlangen/ ob ein blosser Titular-Rath die Præcedenz vor denen hochgraduirten Personen mit Recht prætendiren und erlangen könne/ nach mehrern Inhalt des Uns zugeschickten Berichts.

Ob nun gleich derer Doctorum und Licentiorum gradus von Keyserl. Majestät ertheilet/ und solchen Personen nachgehends hin und wieder sonderbahre Elogia in denen Reichs Abschieden und Policy-Ordnungen beygelegt werden/ selbige auch anderer Gestalt nicht/ als durch abgelegte sonderbare specimina zu gemelter ihrer Würde gelangen können. Dennoch aber/ und dieweil der Ursprung aller Dignitäten einig und allein in einem jedweden territorio von dem Landesherren herrühret/ keines weges aber von einer Wissenschaft und Geschicklichkeit an und vor sich selbst/ sine agnitione publica dependiret/ und daher ein Landesherr am besten inne hat/ zu welchen Verrichtungen er ein und andern seiner Unterthanen zugebrauchen geschickt befindet/ zu solchem Ende auch selbigem in Zeiten den Raths-Titul zu künfftiger Bedienung beyzulegen wohl befugt/ und niemands den seiner Unterthanen/ was ihn dazu bewogen/ zu eröffnen gehalten/ weniger aber diesem/ die qualität eines angeregter massen erwählten Fürstl. Raths in Zweifel zu ziehen nachgelassen/

hiernächst eures Orths/ und sonsten überall ein Fürstl. Rath denen Doctoribus und Licentiatis vorzugehen pfleget. So kan ders gleichen Titular-Rath die Oberstelle vor denen hoch graduirten Persohnen füglich erlangen/ vor Eins.

Auff die dritte und letzte Frage achten wir Rechtens seyn. Obwohl in dem Ehren-Nemptern es gemeiniglich also / daß der jüngere dem älteren/ so länger an solcher Stelle gewesen / und sich also eher als der andere dazu per agnitionem publicam capabel gemachet/ den Vorzug zu lassen schuldig / pfleget gehalten zu werden / und ein widriges Exempel nicht leicht anzuführen seyn möchte. Audiweil aber solche Observanz einig und allein in denen Fällen beruhet / da eine dignitas unius generis vorhanden/ als wenn Licentiati, Doctores, des Ministerii, und Raths-Personen untereinander selbst concurrirten / hingegen angerechte Observanz auff den ganz unterschiedenen Fall / da einer in diverso ordine sich befindet / keinesweges sich extendiren und erstrecken lässet/ hierüber in der ersten Frage bereits erörtert/ daß denen Fürstl. Råthen/ ob gleich selbige die würckliche Bedienung noch nicht angetreten hätten / der Vorzug vor gemeldten graduirten Personen zustehet/ und gegeben werden könne. So wäre ein jüngerer Titular-Rath einem älteren Doctori oder Licentiato zu weichen nicht schuldig. Alles B. R. W.

III.

*Quo loco Comes Sacri Palatii
haberi debeat?*

DE Comitibus Sacri Palatii, & eorum dignitate, privilegiis & prærogativis, varii varia tum sparsim, tum data opera & ex instituto literarum tradidere monumentis. Parum tamen, vel nihil certi in commentariis hisce de Præcedentia illorum, & quem locum occupare possint, reperire licet. Quæ de causa, cum hac de re ex facto quæreretur, fuit dubitatio, qui

quis locus Comiti Palatino esset assignandus ? Ipse enim, qui hac sola, & nulla alia dignitate ornatus erat, anceps hærebat, quid petere exigereque ipsum oporteret. Vivebat ille in Civitate quadam Municipali, sed nobili, & multis privilegiis gaudente: in qua Senatorius Ordo, aut, si mavis, Decurionum, eo jure utebatur, ut singuli præcederent Doctores & Licentiatos. Hæc vero monumenta in hac specie sunt excussa. Ponebatur primo, Comitivam hanc superare Doctorum dignitatem, tum, quod Comites Palatini tantum non semper a Cæsare accipiant facultatem creandi Doctores, quibus adeo illos postponere velle, absolum videtur: tum etiam, quia Doctores Juris, qui 20. annos in Academiis legendo docendo laudabiliter consumserunt, ex communi Dd. sententia, juxta *l. un. C. de Profess. qui in urbe Const.* & hodie in Germania, Comitivam similem illi quodammodo, de qua quæstio jam est, nanciscuntur. Quod privilegium inane foret, si Doctor, & novellus etiam jam antea majori polleret dignitate. Atque, cum Doctores Nobilibus æquiparentur, uti id *Limnaus L. VIII. c. 8. n. 100.* & *Ziegl. de Jur. Maj. L. I. c. 24. §. 6. Itter. de Grad. Acad. c. 10. n. 11. seq.* alique passim tradunt: nullum dubium est, quin majori jure id de Comitibus Palatinis asseratur, quippe qui longe pinguiora multis in causis adepti sunt privilegia, quam illi ipsi, qui in inferioris Nobilitatis gradu sunt constituti: quos & ipsos creandi interdum ab Imperatoria Majestate accipiunt potestatem. *Limn. I. VI. c. 1. n. 35.* Sane nomine Summæ Majestatis in toto Romano Imperio ea exercent, quæ ad Reservata Imperatoris alias referuntur: a quibus & Ordines Imperii abstinent, quæve, si ab his suscipiantur, intra fines territorii cujusq; se continent; cum actus a Comite Palatino gestus ubiq; suam vim, quam late Imperium patet, (modo aliud quid non obstat) exerat, ac efficacitatem. Ob quam causam etiam variis titulis honorum exornantur, uti videre est apud *Mundium, Sagittarium,*
ali-

aliosque, quorum prior libelli, quem de his Comitibus scripsit, c. 4, n. 17. Equitibus auratis eos anteferre non dubitavit. Longius fere ivit *Chassaneus*, quem in *Catalogo Gloria Mundi*, p. V. *Consid.* 50. hæc invenio proferentem verba;

Comites Palatini, vel Comites Sacri Palatii, qui creantur a Principe ad legitimandum, & ad creandum Tabelliones, licet non sint proprie Comites, cum non habeant territorium, sic dicunt *Bald. & Alex. Card.* in d. c. 1. *quis dicatur Dux, Marchio, Comes*: tamen, quia habent voluntariam jurisdictionem & dignitatem, præferuntur quibuscunque aliis non habentibus Comitatum cum territorio, ut tenet *Jac. de S. Georgio* in d. tract. feud. in verb. Comes.

Provocabatur etiam ad *art. 44. Capit. Leopold.* ubi Comitibus hisce titulos Consiliariorum postpositos videmus: quod argumentum in hujus generis controversiis non plane rejiciendum esse *Gothofredus de Præced. P. II. c. 2. th. 7. 13.* cum aliis fatetur. Quod eo fortius hoc passu videbatur, quia Taxa Cancellariæ, uti vocatur, quæ ratione Palatinatum præstatur, superat illam, uti notissimum est, Taxam, quæ solvitur pro titulo Consilarii Cæsarei. *Vid. App. Ex. Feud. D. Strykii, p. 377.* Hisce omnibus positis, nullo opere colligebatur, Comitem Palatinum præferendum esse personis, ex quibus Magistratus Municipii alicujus constat. Quoniam tamen ille, de quo quærebatur, in Civitate, qua de diximus, domicilium constituerat, neque hac dignitate Comitum Palatini sola liberare se poterat a Jurisdictione Ordinarii Magistratus, aut existimare, se ideo meruisse Comitivam, ut Judicis Ordinarii præcepta despiceret, *L. 47. C. de Decurionib. Perez ad d. tit. n. 65. Mey, P. I. D. 185.* creditum fuit, æquum esse & justum, ut Consuli Regenti, tanquam capiti Ordinis Senatorii, penes quem exercitium potestatis publicæ potissimum est, loco cederet: cum Magistratus loci, qui ordinariam habet Jurisdictionem, in loco eo omnibus

omnibus aliis reg. sit præferendus. *Gothofred. de Præced. c. 4. §. 32. n. 1*
Atque ita Collegium Wittebergense N. N. respondit M. Octobr.
1691. sequentibus verbis:

Haben Ihre Römische Keyserliche Majestät mit der Würde eines Comitum Palatini den Herrn allergnädigst begnadiget / und es wil vortezo / nachdem derselbe sein beständiges domicilium in der Stadt N. aufgerichtet / Zweifel vorkommen / was dem Herrn daselbst vor ein Rang gebühre / dahero er des Rechtens darüber berichtet seyn wil / nach mehrern Inhalt seines Berichts / und derer Beylagen.

Wann nun gleich die Ehre und Würde der Keyserlichen Pfalz- und Hoffgraffen allerdings hoch zu achten / und selbige dem Stand derer Doctorum billig vorzuziehen / *Peregrin. L. 1. Consil. 48. per tot. Crusius de Præced. c. 33. in fin.* In Erwägung die Comites Palatini nicht nur die Freyheit und Gewalt Doctores selbst zu creiren insgemein erlangen. *Mund. de Com. Palat. c. 1. n. 41.* Sondern auch die Doctores Juris selbst / wenn sie 20. Jahr lang die Rechte öffentlich gelehret / den titulum der Comitum anzunehmen befugt seyn. *Arum. Vol. II. Discurs. J. P. 4. Sagitt. de Com. Palat. tb. 7.* Hiernechst besagte Keyserliche Pfalz- und Hoffgraffen deuen von Adel gleich zu achten / und in vielen Stücken zu præferiren. *Mund. de Comit. Palat. Caesar. c. 3. num. 1. seqq. §. c. 4. n. 17.* Merentur enim, ut dicantur illustres, nobiles, & spectabiles, & clarissimi, *Mund. d. 1. num. 37. Lancell. in templ. omn. Judic. l. 1. c. 1. atque Consilarii & Consistoriales Imperatoris. Sagitt. d. 1. n. 46. Mund. d. 1. n. 38.* Gestalt dann auch in der jetzt regierenden Römischen Keyserl. Majestät Wahl Capitulation Art. 44. die Palatinen denen Keyserlichen Raths- Titeln vorgesezt werden / über dieses niemanden unbekant / quod potestas Comitum Palatinorum consistat in communicatione exercitii reservatorum Imperatoris ab hoc facta. *Stephan. de Jurisdic. L. II. P. I. c. 4. m. 2. n. 10. 11.* Und im Nahmen der Römischen

mischen Keyserl. Majestät dieselbe in ganzen Römischen Reich
 dergleichen Actus, deren die Reichs-Stände selbst / zumahl
 ausser ihren Territoriis, sich nicht anzumassen pflegen / auszu-
 ben berechtiget / in dessen Ausübung auch einige denen Comiti-
 bus Palatinis die Equites auratos nachzusetzen kein Bedenken
 tragen / *Mund. d. l. c. 4. n. 17.* Bey welchen Bewandnuß denn
 nicht unbillig davor zu halten / daß ein Comes Palatinus denen
 sämtlichen Obrigkeits-Personen in einer Municipal-Stadt
 vorzuziehen / und diese jenem / tanquam majori in dignitate con-
 stituto, den Vorgang zuverstatten schuldig. *Menoch. Consil. 257.*
n. 9. 57. Dennoch aber und dieweil der Herr seinen eigenen An-
 ziehen nach in der Stadt N. sein domicilium fixum constitueret /
 und also unter des Raths daselbst Gerichten und Schutz sich
 auffhält / daher tanquam incola besagten Rath vor seine unmittel-
 bare Obrigkeit erkennet / das Palatinat auch an und vor sich selbst
 keine exemption a Jurisdictione ordinaria mit sich bringet. *Mev.*
P. I. Dec. 185. Hiernächst der Magistratus loci ordinariam juris-
 dictionem habens aliis omnibus in eo loco, sub ejus jurisdi-
 ctione viventibus billig vorzuziehen. *Jacob. Gothofred. de Præced.*
c. 4. §. 32. n. 1. So möchte auch der Herr den regierenden Bür-
 germeister zu N. als bey welchen vornehmlich die Obrigkeitliche
 Macht beruhet / den Rang zu geben sich nicht entbrechen.
 B. R. W.

III.

*Utrum is, qui prior Licentiam a-
 deptus est assumendi Doctorales honores, postea Doctor
 creatus, præferendus sit illi, qui medio tempore
 & Licentiatus & Doctor factus est?*

DOctorem Licentiato præferendum esse, etiam ei, qui ad hunc
 ascendit dignitatis gradum, antequam ille Doctoralibus
 honoribus insignitus, nullum est dubium: quandoquidem
 quis

is, qui licentiam tantum accepit assumendi Doctoris axioma pari ratione inferior est illi, qui id jam est consecutus, uti ens in potentia ignobilius est ente, quod actu jam existit, *Perez ad tit. Cod. de Consul. n. 5.* Ob quam causam etiam nullus dubito, quin Doctor in Collegium receptus, ubi Licentiati sunt, hos loco vincat, licet longe antea affederint Ordini; nisi forte Lex, aut statutum, aut consuetudo exigant, ut temporis ratio habeatur, atque, qui prior ad Collegium accessit, potior sit procedræ jure. In quam rem Responsum Collegii Wittebergensis adducit *B. Zieglerus de Iur. Maj. L. I. c. 24. th. 13.* Quo loco plura de hoc argumento legi possunt. Ast finge Sempronium jam anno 1690. Licentiatum factum esse; sed hoc tandem anno 1696. ad summum gradum Academicum pervenisse: Titium vero anno 1693. vel 1694. utramque sustinuisse dignitatem. Lis inter hos oritur, uter alterum præcedere debeat? Sane cum inter illos, qui eodem gaudent dignitatis genere, tempus, quo quilibet adeptus est illam, cuique assignet locum; *L. 1. C. de Consul. C. 1. X. de Major. & obedient. Jac. Gothofr. ad l. un. C. Th. de Consul. T. 11. p. 75. Grot. de J. B. & P. L. 2. C. 5. §. 21.* facilis responsio videtur, ex his duobus Doctoribus illum vincere, qui prius hoc obtinuit nomen, Titium scilicet: neque id ægre ferre Sempronium posse, qui sibi imputet, quod, cum facultas haud defuerit, non anteverterit jus alterius, & in mora fuerit accipiendi, quos meruerat honores. Novi ita sentire *Alciatum Reg. I. Præsumt. 45. n. 7.* cum illis, quos in partes vocat; quamvis distinctionem *n. 8.* comminiscatur, quam probare non possum, imo vix capio. Sed turbat tamen istam sententiam tum Dd. caterva, tum argumentum ex *l. 1. C. de Consul.* antea allegata petitum. Rescribunt ibidem Impp. ad Senatum Urbis Constantinopolitanæ, postquam ex Consularibus viris illum potiolem esse voluere, qui prior tempore esset, in hæc verba: *Quod si quis prior Consul posteriori Consuli, eidem-*

C

que

que Patricio posthabitus, Patriciatum postea consequatur: vinci eum oportet, qui prior meruerit Patriciatum, postquam iste honore patriciae dignitatis decoratus est. Scilicet fac Titium V.C. ante Mevium V.C. Consulem factum esse; sed Mevium Patricium quoque postea factum esse ante Titium. Hunc praecedet jam Mevius propter accessionem Patriciatus, & copulationem dignitatum. Quod si autem & idem Titius quoque, licet post Mevium, Patricius factus, praefertur Mevio priori Patricio: quia in concursu copulatarum hujusmodi dignitatum non Patriciatus dignitatis, licet prius indeptæ, habenda ratio, verum primæ omnium, puta Consularis. Conf. Jac. Gothofr. d. l. p. 76. & de Præced. P. I. c. 3. §. 9. Non desunt, qui hanc decisionem trahunt ad præsens quæsitum, atque id inde effici posse putant, pari ratione Sempronium primo licentiatum, postea doctoratum, uti loquuntur, præcedere debere Titium, qui medio tempore fuit doctoratus. Lenanderius de Doctor. p. 3. q. ult. Felin. ad Rubr. X. de Major. & obedient. n. 3. Aug. Aret. §. Quædam, I. de Action. Enenck. de Privil. L. 2. c. 5. n. 99. quos ultimos allegat, & probare videtur B. Brunnem. ad d. L. un. C. de Consul. n. 15. Sed non puto huc accommodari posse Imperatorum Rescriptum, nec momenti alicujus esse hanc illationem, quæ fit plane à diversis. Nam primo tantum abest, ut Licentiatum dignitas major sit dignitate Doctoris, ut potius hæc illam vincat. Deinde ille, qui ex Licentiatum fit Doctor, non copulata gaudet dignitate; sed una extincta, novam & unicam suscipit sustinetque: imo non adeo dignitatem mutat, quam ex ejusdem dignitatis gradu uno ad alium ascendit. Atque ideo non video, quomodo locus hic in partes vocari queat. Quæ de causa in hac sententia subsisto, eum, qui prius ad summum pervenit honorum Academicorum gradum, præferendum esse. Quam & usum Germaniæ, & harum præsertim terrarum, probare omnibus satis est compertum.

Utrum Doctoris filia innupta

mercatoris uxori sit preferenda?

Cum res hæc incideret, & inter Doctoris filias virgines adultas, & mercatorum uxores lis de præcedentia nasceretur, pro illis, nisi consuetudo obstaret, respondendum esse, creditum fuit. Equidem negari nequit, Doctoralem dignitatem eam non esse, quæ propagetur transferaturque ad posterios; non male tamen ex *l. 1. C. de Dignit.* colligunt Dd. honoratiorum liberos gaudere quadam claritate generis, quousque aliam vitæ rationem non ineant, vel maritis inferioris conditionis non nubant. *Guido Papa Decis. 389. Brunnem. ad d. l. 1. C. de dignitatib.* Inter honoratiores vero Doctores referri nemo dubitat, cum variis egregiisque privilegiis exornati sint, atque Nobilibus æquiparentur: de qua re novissime lategit *Job. Christian. Itterus de Grad. Academ. cap. 10. § 11.* Quo posito, nil vetat, Doctorum liberos ad medium illud inter nobiles & plebejos genus referre, quod in legibus publicis Germaniæ dicitur *guten tapffern Herkommens. Recess. Imper. de an. 1548. Capit. Leopold. art. 44.* Quia vero mercatores, licet honore suo non destituantur, uti recte tradit *Chassaneus Catalogo Gloria Mundi, Part. II. Consid. 45.* plebejis accensentur, & sic toto genere a Doctoribus, illorumque liberis differunt, utique jus fasque postulat, ut Doctoris filia mercatoris uxori præferatur. Ex quibus rationibus *Lenanderius de Doct. Part. 3.* exacto consuluit in causa mercatoris pannorum, qui domicellam, h. e. nobilem uxorem duxerat, hanc non esse præferendam uxori Doctoris. Plane in casu nostro mercatrices juvare non poterat, quod in matrimonio viverent. Etsi enim nuptiæ uxorem reddant participem dignitatis mariti, *a. l. 1. § 8. ff. de Senator.* nullibi tamen cautum legimus, easdem intuitu aliorum quandam conferre in societate civili præminentiam,

aut dignitatem. Sed quia de observantia potissimum lis erat, Doctorque, cujus filiabus quaestio de statu praecedentiae movebatur, falsus erat, in civitate ista, ubi lis vertebatur, moris fuisse, ut foeminae nuptae, etiam sartorum sutorumque uxores sine discrimine virgines praecederent, consuetudinemque hanc mutatam assererat, mutationem hancce, quae facti est, probare jubebatur. Atque ita Ordo Juridicus Wittebergensis mense Octobr. 1692. respondit. Id quod sententia nomine Potentissimi Electoris N. dicta, cum rationibus decidendi latius docet.

Auff gesuchte Restitutionem in integrum, und erfolgte Wechselschriften in Sachen N.N. in väterlicher Gewalt seiner Töchter/ Kl. an einem / N.N. und N.N. wegen ihrer Eheweiber/ Befl. andern/ der Kauffmanns Gieldte zu N. Intervenienten dritten Theils/ erkennen von Gottes Gnaden N.N. nach gehaltenen Rath derer Rechtsgelehrten vor Recht. Daß die übergebene gravamina vor erheblich nicht zu achten / derowegen es bey dem am 8. Julii 1692. ertheilten Abschied nochmaln billich verbleibet. Es könnte und wolte denn Kläger / daß der von ihm / besagte Protocoll vom 8. Julii 1692. in der auf der Intervenienten Vorbringen beschehenen Antwort gestandene Gebrauch geändert worden / mit Vorbehalt Befl. und Intervenientens Gegenbescheinigung / binnen Monatsfrist gebührend beybringen / dessen genösse er billich / und erget so dann in der Sache ferner was recht ist. Immittellst sind Kl. Töchter in der Possess vel quasi des Vorgangs und Vorsiges über Mitbefl. N.N. Eheweiber bis zu völligen Austrag der Sache / billig zu schützen. B. R. W.

Rationes decidendi.

Ob wohl an dem / daß des Vaters dignität denen Töchtern / so lange diese durch heyrathen sich nicht in geringern Stand setzen / communiciret wird / *L. 1. C. de Dignitat. ibi Brunnem.* und aus diesem textu die Dd. colligiren / quod honoratiorum liberi, licet Parentes

rentes natalibus non sint nobiles, gaudeant tamen claritate generis, ut de Doctorum liberis respondit *Gvido Papa*, *Decis.* 389. *Brunnem. d. l.* also in thesi wohl davor zu halten/ daß eines Doctoris unverheyraethe Tochter eines Kauffmanns Frauen vorzuziehen/ zumahl da unter dem Stand der Doctorum und der Kauffleute ein mercklicher Unterscheid sich befindet/ in Erwegung jene/ wie bekant/ denen Nobilibus nativitate gleich geschäzet/ und vieler stattlichen Privilegien gewürdiget werden/ dergleichen denn die Kauffleute vor sich nicht anführen können; in übrigen/ daß der Ehestand an und vor sich selbst einen Vorzug vor ledigen Personen jemanden zu wege bringe/ in Rechten nirgend verordnet; hiernächst die von Befl. und denen Intervenienten angezogene Observanz, auf welche es in Præcedenz Sachen am meisten ankommet/ *J. Gothofr. de Prac. P. I. c. 2. §. 7. Besold. de Praced. c. 2. Post. de Man. Pr. D. 73. n. 1.* von denenselben nicht beygebracht/ der Intervenienten/ als welche disfalls Parts-Stelle vertreten/ Bezeugnuß auch gang unkräftig/ *cum nemo possit esse testis in propria causa, L. 10. ff. de Test.* und das testimonium Judicis in probanda consuetudine nicht allerdings zulänglich seyn wil/ *per ea, quæ habet Meru. P. IV. D. 2. Carpz. Dec. 3. n. 22.* hierüber die im Rotulo sub C. summarisch vernommene Zeugen nicht geschworen haben/ und so wohl deswegen/ *per jura notissima*, als auch/ weil sie als Kauffmanns-Frauen interessiret/ daraus kein Beweis-Grund zu nehmen; endlich das Regierungs-Decret vom 31. Maji/ 1688. so statt eines præjudicii angezogen wird/ und diese Worte: Nachdem die Gewohnheit alhier in N. ist/ daß die Töchter dieser Stadt auch denen Handwerks Frauen cediren/ so hat es dabey sein Bewenden 2c. in Mund führet/ auf gegenwärtigen Fall nicht zu appliciren/ in Erwegung damahls/ wie der Introitus weist/ keines Doctoris Tochter in lite gewesen/ und also/ daß diese Gewohnheit/ wie es sich auch fast aus dem Consistorial-Decret vom 3. Febr. 1688. ansehen läffet/ nur von Bürgern und mittelmäßigen Standes-Personen/ nicht aber von privilegiatis & graduatis, earumque filibus

bus anzunehmen / scheinen wil. Alldieweil aber Kl. selbstn einges-
 kumet / wie vor diesem in N. der Gebrauch gewesen / daß die Schnei-
 der- und Schuster Frauen über die Doctor- Jungfern den Rang
 genommen / und sich dabey in einer Veränderung dieses Gebrauchs
 fundiret / solche aber zur Zeit nicht erwiesen. So haben wir davor
 gehalten / es sey bey dem Bescheid zwar zulassen / jedoch Kl. die Be-
 scheinigung der angegebenen mutation zuverstatten. Mutatio enim
 facti est, & non præsумitur, atque ideo ab allegante probanda.
L. 22. ff. de prob. it. L. 32. ff. de don. inter vir. & uxor. Bartol. Ax.
LXI. c. 77. ax. 9. Nachdem auch Rechtens / quod manu tenere de-
 beat possessor in jure præcedentiæ in statu ultimo, in quo tem-
 pore litis motæ reperitur. *C. 3. X. de caus. poss. & propr. Post. de ma-*
nuten. O. 33. und N. daß seine Frau im Jungfer Stande Klägers
 Töchtern gewichen / nicht abredig seyn können / jene auch / nach be-
 kannten Rechten / aus dem actu, so causam liti gegeben / keiner posses-
 sich anmassen kan / *Mey. P. 2. D. 188. n. 3.* So ist hierauf erkant / das-
 jenige aber / was Intervenienten pro injuria anziehen wollen / weil
 es Kl. zu Behauptung seines Rechtens angeführet / und zu dem
 nichts injurisches in sich hält / übergangen worden.

VI.

*Quaratione lis inter bibliopecti & lanionis uxores
 de præcedentia sit composita.*

INter tenuioris sortis quoque homines de præcedentia sæpe
 lites oriuntur, quæ Judices distringunt. Hæc licet exigui mo-
 menti videantur; secundum Juris tamen & æquitatis regulas
 finiri debent; quamvis longe satius esset, si homines illi ab his
 contentionibus rixisque abstinerent, nec ejusmodi vitilitigiis
 sanctitatem turbarent Judiciorum. In Consistorio Ecclesiasti-
 co Wittebergenſi lis est agitata inter bibliopecti & lanionis uxo-
 res de proedria: nam & foeminas prurigo hæc, & plus sæpe vexat,
 quam viros. Erat autem illa lis de proedria in subselliis templi,
 ubi parum interfuisset, quem locum hæc vel illa occupasset; sed
 magno

magno tamen conatu hac de re disputatum est. Lanionis uxor allegabat opificium mariti ex illis esse, quæ dicuntur *die vier Gewercken*/ quorsum sc. pannifices, sutores, pistorum & laniones in hac nostra civitate Wittebergenſi referuntur: quibus ſocietatibus in ſcriptis publicis poſtponi ſolet communitas (*die Gemeine*) ſub qua & bibliopecti comprehenduntur. Quoties enim civitas vel univerſitas civium nominanda, ſuetum eſt, illam dici *die vier Gewercke/ und Gemeine*. Eſſi verò alias ordo ſcripturæ in documentis publicis, ſi de hoc argumento quæſtio ſit, non plane rejiciendus, prout late docet *Gothofredus de preced. P. I. c. 2. tb. 7. § 13.* in hoc tamen negotio parum ad rem facere videbatur. Namque in civitatibus quibusdam, & nominatim Wittebergæ, uſu receptum eſt, ut numeroſiora & antiquiora collegia, quibus civitas victus & amictus cauſa carere non poteſt, atque adeo de quibus ſpes eſt, illa tamdiu conſtituta eſſe, quamdiu facies oppidi ſuperfutura eſt, ut inquam illa univerſitatem totam quibusdam in caſibus repræſentent, atque illorum conſenſu certæ res peragantur. Hoc intuitu contingit, ut illa quatuor collegia præponantur reliquis membris univerſitatis. Ex eo verò neutiquam inferri poteſt, extra iſtum reſpectum ſingulis ex illis collegiis jus præcedendi reliquos cives omnes eſſe datum, conſeſſumque. Id enim abſurdum inde nasceretur, lanionem mercatori celebri, veletiam litterato, qui jus civitatis adeptus eſt, juvenem civem ex dictis quatuor collegiis, veterano ex alio & optimè de civitate merito debere præferri. Atque adeo ſi quatuor illa collegia præcedentiam habent, reſpectiva ſaltem eſt, ita ut collegiis competat, non ſingulis. Juſtior erat bibliopecti uxoris petitio, quæ *L. i. ff. de Albo ſcribendo* in partes vocabat, probabatque maritum ejus prius jus civitatis eſſe naſtum, quam lanionem. Atque licet hujus Advocatus *L. iſtam*, ſolùm de Decurionibus agere, nec adeo ad cives trahendam eſſe opinaretur: creditum

tum tamen est, generalem regulam ex illo textu strui posse, illum, qui prius in ordinem quendam, sive Decurionum, sive civium sit receptus, postea accersitis præferendum esse, quam ipsam & alii textus Juris, & recta ratio satis comprobant. *Vid. dicta supra Questione IV.* Nec dubitatum fuit ad regulam hanc factum pertinere; optimaque ratione, si alia desit, præbere decisionem præcedentiæ litis inter ejusdem civitatis cives. Juvabat tamen & illud bibliopegam, quod lanionis opificium pecora tractet, vilius & sordidius quam bibliopegi sit, cujus certè nitidior & magis artificiosa est opera. Eruditorum etiam amanuenses sunt bibliopegi, atque opera sua artes liberales juvant, & ob hanc causam in quibusdam Academiis privilegiis Studiosorum fruuntur, vel inter Cives Academicos numerantur. *Chassaneus Catalog. Glor. mundi p. 11. Consid. 39. 2.* Quas ob causas Consistorium Ecclesiasticum die 4. Martii 1691. decrevit: bibliopegi uxorem præcedere debere alteram; quod decretum, leuteratione interposita licet, postea quoque fuit confirmatum, & rei judicatæ vires accepit.




Wittenberg, Diss., 1696-97

ULB Halle

3

005 607 612



TA → α

Witten



5457.

10 # 35

M.
1646

7

Q. D. B. V.

EX ARGUMENTO

JURIS ΠΡΟΕΔΡΙΑΣ,

PRÆSIDE

CASP. HEINR. HORNIO,

D. PAND. P. P. CURIÆ PROVINCIALIS, SCAB.

ET FACULTATIS JURIDICÆ ASSESSORE,

III. CAL. MAIL. M DC XCVI.

13/
differet

CHRISTOPHORUS THEODORUS

HAINEMANN,
ILEBURGO - MISNICUS.



VITEMBERGÆ,
Prelo GODERITSCHIANO.